

enim ei annus primus ad muneris publici functionem omnium concessu dedit, is ejus omnem spem atq; omnia vitæ consilia morte præverit. Ac quemadmodum acerbiores dolorem commovent eorum casus, quos in alto irati maris procella neglexit, in vicinia verò litoris infesto gurgite circumegit atq; hausit, ita in eorum obitu, qui emersi è vadis & prætervecti vitæ scopulos littus tenent, & jam ubi consistant nacti sunt, majori sensu doloris afficimur. Nolim hic quisquam à me expectet, ut ego lætum parentis verbis ad ostentationem doloris paratis exprimam. Ut enim ille olim inter præcipuos pingendi artifices ingenij laude apprimè nobilis Timanthes, cum lætuosum Iphigenia peritura sacrificium expressisset, quasi omnibus præ incredibilem æroris acerbitate sanguis refugisset, jam tota tristitiæ imagine manus victas sentiens, patris Agamemnonis caput peplo involvit, cujus scilicet fletum dignè ostendere non poterat, spectantis affectui aestimandum reliquit; ita ego cum magnitudinem doloris, quem ex optimi filij morte Pater percepit, non dicam exprimere, sed ne adumbrare quidem possim, peritorum judicij illum transcribam tanquam picturam, in qua plus intelligitur, quam ars exprimere potuit. Verum enim verò cum nostris lacrymis & querimoniis revocare in florem mortui umbram non possimus.

Οὐ γὰρ τις πῆξις πέλεται κρυπτο γόοιο

Et

Cum semel intrarunt infernas funera
leges,
Non exorato stant adamante viæ:

B

Nos